Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

berent odio ueritatem. Nolunt enim sua facta damnare: et hoc habet ueritas ut talia facta damnentur. Tantum igitur oderunt ueritatem, quantum suas penas quas talibus irrogat ueritas. Nesciunt autem illam esse ueritatem que tales quales ipsi sunt damnat. Oderunt igitur quam nesciunt, et cum illam oderint, profecto et eum de quo nata est non odisse non possunt. Ac per hoc quia ueritatem qua iudicante damnantur de patre deo natam nesciunt, utique et ipsum nesciunt et oderunt. O miseros homines, qui cum uolunt esse mali nolunt esse ueritatem qua damnantur mali. Nolunt eam enim […] esse quod est, cum se ipsos debeant nolle […] esse quod sunt, ut ipsa manente mutentur, ne ipsa iudicante damnentur. Explicit Omelia lxxx.iiii.

De eo quod dicit: Incipit. lxxxxi.a.v.

si opera non fecissem in eis que nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem et uiderunt et oderunt et me et patrem meum. Sed ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.

Dixerat Dominus: Qui me odit et patrem meum odit. Utique enim qui odit ueritatem, necesse est oderit eum a quo ueritas nata est. Unde iam quantum datum est locuti sumus. Deinde addidit, unde uobis nunc loquendum est: Si opera non fecissem in eis que nemo alius fecit, peccatum non haberent. Peccatum scilicet illud magnum de quo et supra ait: Si non uenissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Hoc est peccatum quo in eum loquentem et operantem non crediderunt. Denique enim nullum peccatum habebant antequam loqueretur eis et operaretur in eis. Sed hoc peccatum quo in eum non crediderunt, ideo sic commemoratur, quia ipso peccato tenentur et cetera. Hoc enim si non haberent et in eum crederent, dimitterentur et cetera. Sed quid est hoc quod cum dixisset: Si opera non fecissem in eis, mox addidit: que nemo alius fecit. Nulla quippe in operibus Christi uidentur esse maiora quam suscitatio mortuorum, que scimus et antiquos fecisse prophetas. Fecit enim Helyas, fecit Heliseus, et cum in hac carne uiueret, et cum in suo monumento sepultus iaceret. Nam quidam portantes mortuum, cum irruentibus hostibus eo refugissent eumque ibi posuissent, continuo resurrexit. Fecit tamen aliqua Christus que nemo alius fecit: quod quinque milia hominum de quinque, et quattuor milia de septem panibus pauit, quod super aquas ambulauit, et Petro ut hoc faceret prestitit, quod aquam mutauit in uinum, quod aperuit oculos ceci nati, et alia multa que commemorare longum est. Sed respondetur nobis et alios fecisse que ipse non fecit, et que nemo alius fecit. Quis enim nisi Moyses Egyptios plagis tot tantisque percussit, diuiso mari populum duxit, manna de celo esurientibus impetrauit, et aquam de petra sitientibus fudit? Quis nisi Ihesus Naue populo transituro Iordanis fluenta diuisit, et currentem solem emissa ad dominum oratione frenauit et fixit? Quis preter Samson propter suam sitim maxilla mortui asini exundante satiatus est? Quis preter